



57

ff)

60.

1. N. 7.

JONÆ

# DIAPLUS THALASSIUS

Ex Sacra Historia desumptus  
Ex Philologiâ illustratus  
& ad disputandum publicè  
propositus

â

M. MARTINO LI PEN IO

Gortzâ - Brandenb. Marchico  
Collegii Philos. Adjuncto  
PRÆSIDE


et

HENRICO CAPSIO

Ritzbottelio - Hamburg.  
RESPONDENTE

VVITTENBERGÆ

d. Augusti Ao. 1659. In Auditorio  
minori



Literis Hæred. Melchioris Oelschle-  
geli.



11

JONAE  
DIAPYLUS  
THALASSIUS

Exsiccata Historia eorum  
Ex Physiologia  
et ad experimentum  
proponitur

M. MARTINO LIPENIO  
Curae Praesidis  
Praeside

HENRICO CASPIO

Responsio  
Lipenio  
Praesidi  
Henrico Caspio

Henricus Caspius  
Lipenii Praesidis  
Praeside





I. N. J.

CAP. I.

DE INSTITUTO ET TITULO  
DISSERTATIONIS.

Summaria

- |  |   |
|--|---|
| 1. Pericula & angustia Prophe-<br>tæ in ceto superanda.                    | 6. Διαβολῶν & διαπλῶν.                    |
| 2. Fabulæ occasio de Hercule<br>Τρεσπέρων.                                 | 7. Jonæ etymon Ebraeum.                   |
| 3. De Andromede.   | 8. Stymon Teutonicum ex Wis-<br>hoen.     |
| 4. Fabularum vera, historica<br>& moralis expositio.                       | 9. Jonæ stirps non Sidonia ex<br>Sarepta. |
| 5. Gentilium risus super Peri-<br>plo Jonæ correctus ex Theo-<br>phylacto. | 10. Sed Ebraea ex Chathche-<br>pher.      |
|  | 11. יֹנָתָן & נִחַן                       |

I.



Historia Jonæ à pisce absorpti, & vivi reddi-  
ti stupenda prorsus est, & si extra fidem  
historiæ sacrae esset, pro fabulâ potius  
quàm vera historiâ haberetur. Ecquis  
enim non stupefcit, quando audit, JO-  
NAM PROPHE TAM DEI tres dies &  
tres noctes in ceto sine lumine, sine cibo, sine  
somno, in medio pelago in ventre piscis, &  
coctione ventriculi feruentissimâ jacuisse, hasisse, sudasse, respi-  
rassè, aut respirare, inter conglomeratos aquarum fluctus vix ac ne  
vix quidem potuisse? Quem non subit mirari, quod sancto  
DEI viro datum non sit, solem aut lumen contueri, sed in densis-  
simis tenebris in squalidissimo balne vaporario delitescere? Ipse  
certè quo loco sublisteret, ignorabat; an imum aqua occuparet,

A 2

an



an mediū teneret, an in superficie nataret, nesciebat, istud saltem  
 persentiscebatur, se in mari circumferri, & instar miseri erroris  
 hinc inde agitari ab inquieta, & stare nescia bellua. Intus erat  
 gurges aquarum, ideoq; ex colluvie squaloris & sordium plenissi-  
 ma exire cupiebat; sed extus immensus erat oceanus, ex quo e-  
 luctandi nulla spes erat super. Terribilis erat ingressus, an-  
 xia alvi occupatio. Inter medios dentes acuminatos, qui instar  
 clavate machine, instar columnarum circum circa acutarum pro-  
 minebant, in vastissimum guttur descendebat, ad cuius vel folius  
 memoriam tremor omnes artus occupare posset. In hiatu fau-  
 cium abyssus, in stomacho sepulchrum profundissimum appare-  
 batur. Inter commota intestina ex memphiti lithomyian patie-  
 batur; dimotis costis, contractis & dilatatis pulmonibus attere-  
 batur, collidebaturque undiquaque versus: perpetuum naufragi-  
 um inter integra maria immenso rictu hausta & vicissim eru-  
 ctata, faciebat. Ita, ut Attilii Reguli tormenta in machina Pu-  
 nica, Perilli in aeneo Tauro, Armenianorum in Frigidariis, Onomar-  
 chi in κατὰ ποντισμῶν sustinuisse videatur afflictissimus JONAS,  
 quando inter acuminatos dentes conterebatur, ex estu ventricu-  
 li, tanquam in culeo perillino coquebatur, in fluxu & refluxu flu-  
 xuum marinorum frigore perimebatur, & dejectione in pontum ad  
 fundum usque demergebatur. Vivus tamen, & illæsus prodiit.

2. Tantum istud miraculum est, ut simile quid nec in sacris  
 nec prophanis inveniri possit scriptoribus. Nisi quis huc pertrahe-  
 re velit figmentum istud Poëticum gentilium de Hercule in ba-  
 lenæ ventre commorante, & ex eo vicissim erumpente, adustus  
 paululum, & ut sic loquar, depilatis capillis. Quod Lycophron  
 in initio Cassandra sic ait:

Τρισπέρχ λέοντος, ὃν πότι γνάθοις  
 Τριτων ἠμίλαψε κάρχαρος κύων.  
 Εμπνῆς δὲ δαιτρός ἠπάτων, φλοιδύμῳ  
 Τινθῶ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐχάραις  
 Σμαρίγγας ἐσάλαξε κωδείας πέδω

Quod ex Isaacii Tzetzes commentario sic vertere placet  
 Trivesperi (trinocetii) leonis, quem aliquando maxillis  
 Tritonis deglutivit, asperè dentatus canis

Vivus

*Vivus autem dissector intestinorum ambustus  
Cavo lebetis in focus ignis expertibus  
Capillos destillavit capitis solo.*

Cujus quoque *Cyrillus* in *Jonam* meminit, quando *Herculem* inquit *Alcmena* & *Jovis filium* ajunt deglutitum quidem à cæto, redditum tamen ab insito ceti calore, capite solum depilato.

Quod ut à Poëtis profectum est, quibus æquè ac pictoribus

*Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,*  
ita nullus adduci possum, ut credam verè *Herculem* quempiam perrupisse intestina balænæ, & vivum redisse in lucem, ut potius persuadear, istam *Historiam S. Jonæ* famâ aut traditione ad cætum gentilium divulgatam ansam suppeditasse, simile quid de suo *Hercule* commentendi; Id quod etiam observavit *Joh. Gerb. de Origine & Progr. Idolol. l. 2. p. m. 382.* imprimis quia per *Josephum* creditur in *Ponto Euxino* redditus ubi etiam *Argonautæ* navigarunt apud *Salmeronē* T. 8 tr. 17.

Th. 3. Hinc *Sanchez* quoque scripto reliquit, Poëtis ansam de *Andromede, Cephei & Cassiope filia* fabulandi datam esse, quam ob superbiam matris, alligatam scopulis & cete ad devorandum propositam, postmodum verò à *Perseo* liberatam penes *Javan vel Joppen* fingunt, ut est apud *Ovid. l. IV. Metam. fab. 18.* Fabula, inquam: quia pro fabula potius cum *Strabone l. XVI. Cosmogr.* quam pro verâ re gesta habeo cum *Plinio l. V. c. 13. Pomp. Melal. 2 de Sit. Orb. & Solino. c. XXXIX.* Origenē tamen habere ab *Historia Jonæ* arbitatur *Georg. Hornius in Sever.* Quis enim dubitet, inquit, *Joppensib9* innotuisse, *Jonā* è mari, & ut narrabat, ex ceti ventre in lucem reversum, ac quia ipsorum navi vetus, placandis numinibus suis virginem ibi alligatam & balenis objectam?

Th. 4. Ea enim vel omnium, vel saltem plerarumque *μεταμορφώσεων*, & fabularum gentilium indoles est, ut arreptâ mentiendi occasione. veritatem rerum ac historiarum variis involucris & commentis obscurarint, uti bonam partem expeditavit *Palephatus* scriptor Græc<sup>9</sup> in lib. *Ἐπί τῶν ἰσογιῶν*, quem post *Aldum Manutium* & *Philipp. Phasianum* etiam *Corn.*

*Tollius* Profess. Histor. & Græcæ Ling. Harvici, excuderunt. Cujus generis quoque est *Georg. Sabinus*, Annot. in *Metam. Ovid. Natalis Comes* in Mytholog. & proximè *Franc. Baco de Verulamio de Sapientiâ veterum*, eruditissimo & nervosissimo libello, tanto & tam nobili viro dignissimo. Quod quidem ante eos ex veteribus etiam conati & opinati sunt *Ponticus Heraclites Silenus Chius, Euphorion, Damascinus, Melissus, Lamiscus, Dorotheus, & Evanthes*, si citationibus Tollianis fides adhibenda est quæ sunt in Palaph. dedicat.

Th. 5. Quemadmodum ista de *Hercule & Andromede* somnia vana sunt, ita istam quoque de *Jona* historiam vix quisquam acceptaret pro verâ, nisi nos Scripturæ autoritas ad redendum moveret. Ea certè major est, quam omnium hominum infidelitas. Uti ergò apud *Judeos* sancta semper fuit hujus Prophetæ *ἀὐτομῖα*, Ita apud *Christianos* nulla de eo amplius dubitatio esse potest, nulla esse debet. *Græcorum* autem ea fuit impietas, ut istam de *Jona* Diaplo narrationem risu potius quam fide exciperent. Contra quos jam tum suo tempore *Theophylactus* egregiè disputavit. *Omni*um, inquit, qui talia audiunt, fidem excedit, maximè eorum, qui ex *Græcorum* scholis sapiente doctrina ad hanc historiam accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, qui fiat, quod hæc non intelligant, cum suis ipsorum alis capiantur. Apud ipsos enim non nihil de *Hercule* narratur, quod & ipse à balena devoratus incolumis remanserit, nisi quod tantummodo depilatus redierit, idq; ob ingenitum & internum belluæ calorem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant. Similiter *B. Augustinus* fortiter contra *Porphyrium* disputat, Ep. XLIX, q. 6.

Th. 6. Nobis impræsentiarum propositum non est, omnia mirabilia circa hujus Prophetæ vocationem, ablegationem & prædicationem occurrentia annotare; Cum eâ de re *Plur. Rever. Dn. D. Kunadi, Præceptoris nostri optimè merentis, & B. Dn. D. Joh. Benedict. Carpozovii*, aliorumque nostratium Theologorum eruditissimæ & piissimæ meditationes prostent; sed saltem CURSUM ejus MARINUM, quem in ceto absolvit, expendere. Hunc nos DIAPLUM vocamus, ad similitudinem *Peripli*



ripli *Arriani*, Sicut enim ille littora Ponti Euxini & Maris Rubri peruestigando suum *Periplum* ad laudatiss. Imperatorem Roman. perscripsit : Ita *Diaplum* seu *Trajectum* & *Transitum* suum, quem in mari medi-terraneo in ceto vectore & portatore fecit, Jonas ad omnem posteritatem fidelium transmissit. Ο Δάπλοϛ & Διάπλϛς dicitur ex Δαπλώω seu Δαπλέω, quod significat *trajicere*, *transmittere*, diciturque proprie de iis, qui *navigando cursum suum absolvunt*, ut ex isto Apollonii fit manifestum, ἀλὸς κρυόεντα κέλευθα Νηὶ Δαπλέειν *rudentibus trajicere frigidas maris vias*. Addidimus autem ἐπεξηγήσεως ergo θαλάσσιϛ seu *Marinus*, ut pateat non iter *Jona pedestre*, sed *nauticum*, aut rectius *ponticum* insinuari, quod emensus est in ventre balenæ portatus.

Th. 7. *Jonas* Ebraice יונה significat columbam, eo quod instar *columbæ Noachicæ* Gen. VIII. 7. olivam salutaris pœnitentiæ Ninevitis attulit, aut quod instar *oppressæ columbæ* varios turbines & tempestates adversas expertus est, atque à mansuetudine & facilitate morum maximè commendatus fuit. Descendit enim ea vox ex R. יונה oppresfit, eò quod *columba accipitris oppresioni* & *vulturis prædesit exposita*, ac quia ab aucupe facile illaqueetur & opprimatur, quo alludit Oseas VII. II.

יְהִי אֶפְרַיִם כִּי־וֹנָה כּוֹתָהּ :

Et fuit Ephraim velut columba stolidæ.

Th. 8. Non possum me continere, quin hic *Nomenclatorem Teutonicum* Job. Goropium Becanum l. II. Hispan. p. m. 35. adducam, qui *Jonæ*, seu ut ipse loquitur, *l'õn nomen* ex composito isto verbulo Wi-hoen, i. e. consecrare weihen/ einweihen/ deducit, ideò scil. quia Sp. S. qui Johanni in formâ columbæ apparuit, omnia initiavit, & consecravit. Verba ejus ipsa adscribam, quoniam in paucorum manibus est. *Jon pro Columba*, inquit, *duplex digamma non è medio, sed è principio perdidit, dum è wi-hoen factum est Jon, qua compositione avis consecratrix denotatur, ratione vocis olim è simbolo petita. Plenum mysterii cognomen hoc esse nemo eorum dubitabit, qui scient Sp. D. in columbæ effigie D. Joanni Bapt. apparuisse. Nam si solus Sp. S. omnia consecret, divi-*

na

na reddat, & amore devinciat, quâ ratione aptius avem, cujus speciem is gesit cum in Christum descendit, indigitare queas, quam vi voces consecratricem? Et mox. Dignum etiam est accurato examine, quod de columba & olivæ ramo scriptum habemus non tam ob historiam, & celebrem ad longinqua columbæ volatum, quam ob symbolorum in his duabus naturis cognationem: Quam qui diligenter expendet, ac cum nomine *Wi-hoën* conferet, magna mecum perfruetur voluptate. Imò vero voluptate? Quæ hæc voluptas, Ebrææ linguæ peritis esse potest, geniû suæ linguæ ex *Cimbricâ dialecto* addiscere? Nunquid & Moses suarum vocum radices à Teutonibus tunc nondum existentibus mutuatus est, aut in sacram suam dialectum contorsisse dicendus est? Si liceret, rem seriam jocosè tractare, possem ex dialecto germanica parili pacto *Jonas* derivari, q̄s. *Jonas*, quia maximè madefactus est in ponto, & ceto. Sed quid risum ciemus? Rectius *Johann. Tzetzes Histor. Chil. 7.* Εβραϊκῶς τὸ Ἰαὼ ἀόρατον σημαίνει

Ὁ Ἰωνᾶς ὡς εἶπεν, ὃδ' Ἰωάννης χάρων.

Th. 9. *JONAS* noster, quis fuerit, aut unde oriundus, manifestum fit ex 2. Reg. XIV. 25.

: יונה בן אמתי הנביא אשר מגר החפר :

Pater non fuit *Abdia* Propheta, maritus viduæ *Sareptanæ*, ut aliqui sentiunt, sed *Amithai* vir *Sabulonita*, & natione Ebræus. An mater fuerit ex tribu *Aser*, ut *R. Jochanam* & *R. Levi* pulcher voluerunt, patremque ex *Zabulon* habuerit, in dubio relinquimus, quamquam id nobis plane non videatur probabile. Proinde error est quorundam Rabbiorum, & virorum è Synagoga, opinantium, *Jonam* fuisse filium viduæ *Sareptanæ*, quæ Propheta *Elias* ex mortuis exsuscitavit, uti est I. Reg. XVII, 24. eo quod mater ad Prophetam dixerit וְדַבֵּר יְהוָה בְּפִי אִמִּתַּי  
Quos secuti sunt *Hieronymus*, Prolog. in *Jonam*, & *Brito*, *Exposit.* in Prol. *Epiphani* in *Jon.* Autor libri (Augustino falsò ascripti) de *Mirabil. Scripturae S.* *Dorotheus* & *Isidorus* in *Jon.* *Sixtus Senensis* *Bibl. sanct.* l. i. p. m. 14. *Sim. Majolus* *Dier. Canicul. Coll.* IV. p. m. 137. *Zvinger. Theatr.* l. i. p. m. 143. aliiq;. Adeoque fuisset natione gentilis, *Phenix*, & *Sidoni*, Patria *Sareptan*. Est enim *Sarepta* *Sidoniorum* civitas, Ebr. לְיִרְדֵן אֲשֶׁר לְצַרְפְּתָה I. Reg. XVII. 9. Sita

Sita est quasi mediâ inter *Tyrum* & *Sidonem* in viâ pu-  
blicâ non procul à littore maris. Ab *Eleuthero fluvio* versus *A-*  
*quilonem* duobus, à *Sidone* versus austrum totidem milliarib.  
distat. Hæc *Sarepta* à generoso vino celebratur, quod in confi-  
nio *Sareptano* & *AntiLibano* copiosè nascitur, unde *Sidoni-*  
*us*: *Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falenna*

*Quæq; Sareptano palmite missa bibas.*

plura videri possunt in *Tyrii. XIV. de B. Sacr. & Chr. Adrichom.*  
*Theatr. T. S. p. 7.*

Th. 10. Econtra *Jonas* de se faterur, historiae suæ cap. 1.  
com. 9. עברי אנכי ואת יהוה אלהי השמים אני ירא  
אשר עשׂוה אתה היום ואת הובשרה  
Quæ apertè ostendunt, eum *Israelitam* esse, ortum scil. ex  
*Ghath-Chepher*, qui est viculus ad viam è *Syria* in *Aegyptum* du-  
centem, non procul à monte *Thabor*, in quo *Hieronimi* tempore ad-  
huc sepulchrum *Jona* monstratum est, ut ipse *Proœm. in Jon.* testa-  
tur. Dicitur aliàs etiam *Gethepher*, *Getacopher* item *Gath in opher.*  
apud *Adrichom. Th. T. S. p. m. 140.* Sita est non in *Tribu Dan*, ut  
itidem *Epiphanius* opinatur, nec in *tribu Aser*, ut *R. Abarbenel*  
sed in *tribu Sabulon*, ut est *Jos. XIX. 13.* Jacet inter *DioCesaream*  
seu *Sephorim* seu *Sephoron* seu *Saphorinen.* & *Tiberiadem*, distatq;  
à *Sephorim* duobus milliaribus. De *Jona* hoc nostro *Hebræi*  
quoque tradunt in *Seder olam* & ex iis *Jo. Mariana* in *Scho-*  
*liis Bibl. & D. Joh. Tarnov. Comm. in Jon. p. 2.* quòd fuerit iste  
*Juvenis*, quem *Elifæus* misit, ut ungeret *Jehu* in *Regem 2. Reg.*  
*IX. 1.* Quod nos quidem in medio relinquimus.

Th. 11. Ista igitur distinctio adhibenda est inter ista  
duo nomina אָמֵן & אֱמֵן, quod hoc sit nomen viri proprium,  
ex *R. אָמֵן* nutrit, & in *Hiphil. אֱמֵן* seu אֱמֵן credi-  
dit, filius est, ut sonet qs. *vir nutritor*, ein guter Ernehreter / & *vir fi-*  
*dem servans*, ein treuer / ehrlicher Biderman. Istud verò sit no-  
men appellativum, significans fidem & veritatem, contractum  
scil. ex אֱמֵן aut ex אֱמֵן quod utrumque significat veri-  
tatem in gen. foeminino ex eâdem *R. אֱמֵן* nutrit, quia *Veri-*  
*tas est optimus animi cibus & nutrimentum.*

B

CAP.

CAP. II.  
DE  
PISCE JONÆ POR-  
TATORE

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1. Piscis Jonæ πορσευς<br/>2. Fuit magnus גר.<br/>3. Non fuit duplex piscis, mas<br/>    &amp; fœmina.<br/>4. Sed unus tantum. גר &amp; גרה<br/>    promiscuè de utriusque se-<br/>    xus pisce usurpantur, ex lo-<br/>    cis parall. aliud in commo-<br/>    dum figmenti Rabbinici.<br/>5. Piscis preparatus est, non<br/>    creat. Longævitæ ceti.<br/>    Ceti ductor.</p> | <p>6. Piscis Jonæ non fuit Car-<br/>    charias seu λιων, integros<br/>    homines deglutiens. sepi-<br/>    mentum dentium lamnæ<br/>    acuminatum.<br/>7. Sed ἄλιος.<br/>8. Cetorum species. Balena-<br/>    narum magnitudo. domus<br/>    ex balenis facta.<br/>9. Cetus ad terram appropin-<br/>    quans difficulter remeare<br/>    potest.</p> |
|--|---|

Th. 1.

**P**iscis πορσευς seu portator Jonæ hic omninò consideran-  
dus est, tanquam instrumentum & *vehiculum* Diapli Ma-  
rini. Quod enim iter alii nautæ navibus expediunt, istud  
sanctus Propheta pisce emensus est.

Th. 2. Non habet aliud nomen in Jonæ Prophetia,  
quam גר piscis magni, Eadem vox porrò cum ה Em-  
phatico legitur, הרה, & in fœminino הרה. Est autem גר  
nom. masc. gen. à Rad. גרה piscari. Quanquam aliqui aliam  
Ra-

Radicem assignare velint, nimirum רגה augeri, foecundari more piscium. Ac certè mirabilis & ferè incredibilis est piscium in mari generatio & foecundatio juxta tenorem divinæ benedictionis Gen. 1. 22. פרו ורכו ומלאו את המים Quò etiam alludit S. Jacobus Manasse & Ephraim benedicturus Gen. XLVIII. v. 6. וידגו לרב instar piscium multiplicentur in multitudine in medio terra.

Th. 3. Circa formationem & usurpationem feminini רגה glossema seu commentum R. Salom. Jarchi audiemus. Iste ex mente aliorum quoque delirantium Judæorum ita arbitratur. Ionam in mare projectum statim exceptum esse pisce mare רג, & cum in eo satis amplè degeret, ad Deum non clamasse; Ideo Deum jusfisse, ut piscis mas Prophetam nondum penitentem aut invocantem evomeret in piscem feminam רגה foetu plenum, ut ex impregnatione & alvi tumore in angustiis virum Dei redigeret, ibique demum incepisse clamare & egrægium istud canticum, quod cap. 2. est, cecinisse, atque ex eo pisce feminino etiam esse vicissim exsputum. Rationem conjecturæ desumserunt ex textu Ebræo, in quo masc. רג adhibetur, quando de pisce devorante agitur, & femininum, v. 2. quando de invocatione in visceribus רגה

Th. 4. Nuga sunt, & Rabbinica fabule, quarum citatus רש"י plenus est. Is piscis, qui Prophetam devoravit is eum etiam per vastum oceanum deportavit, & qui deportavit, is etiam vicissim exspuit eundem. Nam in cujus visceribus tres dies noctesque totidem fuit, in ejus visceribus quoq; precatu est, deportatus & ex iisdem etiam vicissim exsputus est. Atque in visceribus piscis maris (secundum Jarchi,) istius רג quem Deus preparavit ad deglutendum eum, in istius visceribus tres dies, totidemque noctes fuit & ex רגה istius pi-

cis visceribus etiam fuit exsputus. Hinc etiam דג in masculi-  
no repetitur vers. 11.

ויאמר יהוה לדג

Et dixit Dominus ad piscem, istum scilicet דג גדול magnum  
piscem, cuius meminerat commate primo. Quod indicio est,  
promiscuè & masculinum & fœmininum genus de eodem pisce h. l.  
adhiberi. Quod verò conjectura ista obtendit istam generis  
μεταλλαγήν, nihil est. Nam diversitas terminationis non semper  
parit diversitatem generis, ut ait doctissimus Joh. Leudsen L.  
sanctæ in Ultraject. Academ. Prof. Ordin. in Jona suo illustrato  
p. m. 110. Ecquid enim, quando Ex. VII. 18. in plaga Ægyptia-  
ca pisces fluminis mortui dicuntur, adhibeturque fœmininum  
הדגה nunquid, Jarchi, credideris solos pisces fœminas mortuos  
esse, mares verò supervixisse? Prudentior hac in parte est D. Kim-  
chi, qui fatetur דג communiter in mascul. & fœmin. reperiri,  
hancque explicationem vocat allegoricam ad c. 2. Jona vers 2.  
apud Johann Leudsen c. l. Neque novum est in nominibus ani-  
malium, ferarum piscium, vermium uno nomine sive masculini  
sive fœminini generis utrumque sexum indigitari Vid. Excellent.  
Dn. Sennertus in Grammat. Trost. p. 67. ann. 2. & Joh. Tarn.  
Com. in Jon. p. 38. Sic דגים Dracones masc Deut. XXXII. 33.  
de draconibus utriusque sexus, & vicissim fœmininum  
הנחש Mal. 1. 3. de draconibus etiam masculis usurpatur. Simi-  
liter qui vituli עגלי in masc. vocantur 2. Paral. XIII. 8.  
isti etiam in fœmin. עגלות citra sexus differentiam dicuntur  
Os. X. 5. Sic Job. XL. 26. צלצל דגים nascella piscium pro  
casibus omnium piscium adhibetur. Similiter Fœmin. דגה  
Deut. IV. 18. pro pisce utriusque sexus usurpatur, dum Deus  
prohibet, ne Israelitæ sculptile facerent ad similitudinem  
כל-דגה omnis piscis, qui in aquis est. Eadem ratio generis  
est Ezech. XLVII. vers. 9. & 10. Quapropter quorsum tandem  
istud tuum commentum, Jarchi, respicit? Nunquid arbitra-  
beris in uterum quoque in pregnata balena immissum esse Prophe-  
tam, ut ex foetus piscini multitudo coangusteretur? In  
stoma.

stomachum ceti credo descendisse Ionam, non in matricem ejusdem. Quomodo itaque Jonæ in ventriculo latenti plus angustiarum ex uteri intumescencia poterat surgere? Sed desino ineptiarum istarum.

Th. 5. Aliud Rabb. commentum hic quoque attingere placet, quod de preparatione & creatione hujus piscis afferunt. Rabbi. scil. Tarphon dicit in capp. R. Elieser (allegante R. D. Kimchi in Paraphr. Jonæ) istum piscem esse à DEO diebus sex creationis paratum, eum in finem, ut Jonam sorberet. Commentum istud est. Fortè fuit Leviathan, qui ab initio fuit, cujus formellam salitam Deus Judeis in futurum seculum reservavit apud Buxtorff. in Synag. Jud. c. 36. Urgetur potissimum verbum מִן quod significet preparationem, que intra è ζαΐμασπον creationis facta sit. Est ea vox 3. fut. Piel pro מִן־אֵי abjecto הֵאֵ vid. Excellent. Sennertum in Gram. Trostiana p. 49. ann. 1. & 2. R. est מִן in Kal numeravit, in Piel מִן־אֵ paravit, preparavit. Quæ vox Job VII. 4. de æurnosarum noctium ordinatione & constitutione. P. LXI. 7. de veritatis & misericordie divinæ erga Reges & Magistratus preparatione, Dan. l. 10. de ordinatione esca pro Daniele, fociisque ejus à Rege facta usurpatur. Adeoque non preparationem aliquam creativam sed saltem ordinativam & constitutivam significat. Unde luculentus sensus talis emergit, Deus constituit & ordinavit belluam istam marinam non à primordio mundi, sed tunc cum ejiceretur Jonas, ut eum absorberet. Sunt enim ut omnes aliæ creaturæ, ita & pisces in exercitu DEI, ut ejus nutui obediant, & mandata erga reos & facinorosos exequantur. Alioquin oportuisset admodum longævum fuisse istum piscem. Nam à conditu mundi ad Jonam usque præterlapsi sunt anni præter propter 3066, utpote qui vixit sub Joâ, & Jeroboamo II. Regibus Israël, apud D. Walther. Offic. Bibl. Reposit. Poster. Arc. X. §. 1016. aut ut Josephus computat, Anni 3130. Et vel sic decrepitem & occæcatum fuisse istum cetum oportuisset. Nam quod rerum naturalium scriptores tradunt, ob pinguedinē, cum adoleverint, incipiunt cacutire im-

ma cete, ideoque ductore pisce opus habent. Quemadm. *Aelianus* l. 2. c. 13. *Hist. An. omne, ferè, inquit, cetarium genus duce ad se moderandum eget, illisque ducibus ad videndum utitur. Is autem dux est, longus piscis, colore albo, capite praelongo, angusta cauda. Nam hic separatim ab illo nunquam navigat, sed ante huius caput antecedens ipsius dux ac quasi temo existit. Etenim cuncta illi & providet & presentit, caudaque extrema prae monstrat, singula tum horribilia formidolosaque exhibet, tum cibaria conciliat, insidiasque à piscatoribus positas signo quodam ostendit, atque quem locum propter magnitudinem illum adire non oporteat, praesignificat: ob nimiam enim pinguedinẽ ceti oculus efficitur ad videndum ineptus. Quod si iste pisciculus, quo ad necessaria utitur, perit, illi quoque pereundum est. Quorsum etiam *Claudianus* in *Entrop.* respicit, quando inquit:*

*Sic ruit in praecipitissimum amisso pisce sodali*

*Immensumque pecus parvæ moderamine caudæ,*

*Bellua sulcandas qui prævius edocet undas*

*Temperat, & tanto conjungit fœdera monstro.*

Hunc ceti ducem pluribus describunt *Oppianus* l. 3. *Halic. Ulyss.* *Altrovand.* l. 5. de Pisc. c. 23. p. m. 341. & *Joh. Corn. Vterverius Aldrovandi collector*, aliique

Th. 6. Magnum itaque Jonæ piscem fuisse constat: Attamen qualis iste fuerit, nondum est in confesso. *Ulysses Altrovand. Philos. & Medicus Bononiensis* l. III. de Pisc. c. 32. *Rondeletius* l. 13. de Piscib. c. 12. & *Joh. Pineda* de Reb. Salom. l. IV. c. 12. *Drusius, & Georg. Horn. Com in Sever.* p. m. 331. arbitrantur, piscem istum fuisse *Carchariam* seu *Canem marinum*, qui ab Italis, aliisque *Lamia*, item *λάμνη* vocatur, *Plinio* *Canicula*, *Norwegis* *Perckfisch* / vel *Porckfisch* quas. *porcus marinus*, *Anglis* *Doggefisch* quasi canarius, aut caninus piscis *Germ.* *Hundfisch* / est ingens & voracissimus piscis, anthropophagus, riciumque oris & gutturis immanem habet. *Rondeletius* testatur, se in *Santonico* littore *Carchariam* vidisse, cujus os & gula tantæ vastitatis erant, ut hominem commodè potuerit capere. *Gillius* quoque refert, *Nicenses* sibi testatos esse, se in canis ventre solidum homi-

mi-



minem reperisse, & *Massilienses* in pisce loricatedum hominem invenisse. Hinc *Marcus Antonius Bernia* restitutor Aldrovandi in ejusdem opere f. m. 381. ex suo Musæo rictum dentibus acuminatis instar circularis septi communitum expressit, talemque *Clariss. & Admodum Rever. Dn. M. Gotfr. Christianus Bosius*, Fautor & Amicus meus honoratissimus Lipsiæ in suo *Myriothecio Mirabilium Naturæ operum* monstrare potest. Hinc conjectura convaluit, pro *Carcharia*, quia ingens piscis est, vastitate Thynnos superans, hominemque etiam illæsum recipiens.

Th. 7. Ast B. Dn. D. Wolfg. Franzius Hist. Anim. Tract. III. c. 2 de Cetis p. m. 616. alique nostrates Theologi ac Philosophi existimant, fuisse *Cetum seu balenam aliquam magnam*, ideo scilicet, quia expressè à S. Matthæo nominatur κῆτος. Ita quoque LXX. reddiderunt, καὶ προτέταξεν ὁ κύριος κῆται μεγάλα. Et vicissim καὶ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς κῆτος. Chald. & Syrus nomen piscis commune retinent. At κῆτος *Dan. III. 29. propriè pro balena* accipitur. Et nequis putet, dicatque cum prioribus autoribus, nomen κῆτος esse generalius, quemcunque grandem piscem significare, adeoque etiam *carchariam sub se complecti*, notandus est locus ex *Homero*, ubi κῆτος *Canicula* contradistinguitur. Est is *odyss. μ.*

Δελφῖνας τε κύνας τε καὶ εἶποτε μείζον ἔλθοι

κῆτος, ἃ μύρια βόσκει ἀγασαί Ἀμφιρίτη

*Delphinosque canesque Et sicubi majorem capere possent*

*Cetum, quæ infinita alit gemebunda Amphitrite.*

Et quia talium cete magna copia in mari magno fuit, facile etiam nos credimus huic Sp. S. literæ, quod κῆτος non λαμία, aut *Canicula* fuerit, qui *Jonam* deglutivit Prophetam.

Th. 8. Cæterum cum vicissim sex Cetorum species connumerentur ab *Ichtiologis*, *Balena*, *Pristis* vel *orca*, *Wallschwein* / *Physeter* *Wallspruße* / *Delphinus*, *Meerschwein* / *Phocena* brevior *delphinus*, *Phoca* *Meerfals* / ut est apud *Franz. H. A. tr. 3. c. 3. p. 621.* nos hic certi quid determinare non possumus.

Tu-

Tutius tamen esse putamus, manere apud Balenas, ut-  
pote quæ magnitudine alia superant. Testatur, *Olaus M. de*  
*Piscib. Monstros. l. XXI. c. 15. & 16.* Monstra marina aquilona-  
ris cœli adeo ingentis molis esse ut in littus abjecta ex eis  
prorsus eorum carnibus, nudatisque ossibus quasi *quedam na-*  
*ves optimè lignis compacte videri possint.* Quin etiam si pronum  
jaceat piscis cadaver, *ample domus vicem teneat fenestris su-*  
*perne confectis hinc atque hinc cubiculis dispositis, portis etiam fa-*  
*brefactis, & occlusis ex ipsius piscis maxillis,* Tanto totius familie  
in habitantis commodo separatis habitaculis, ut super sit, &  
gallinis suisque & equo alendo locus. Simile quid *Strabo l. XV. &*  
*Plin. l. IX. c. 3. narrant.*

Th. 9. Istud adhuc hic annotandum esse videmus,  
quod cum *πρωθυεὺς* Jonæ jussu DEI prophetam in Aridam  
revomeret, non sine singulari DEI directione factum sit, ut  
ad littus appelleret, Jonamque in siccam tellurem reponere  
posset, ceto nec hærente nec manente in ripa aut arida, sed  
gradum in abyssum resumente. Cum aliàs compertum sit,  
quod si propius grandia cete accesserint, via iis potissimum  
occludatur propter magnam molem & gravitatem. *Zo-*  
*naras grecus* autor narrat, quod imperante *Justiniano By-*  
*zantii* cetus sit captus, qui incolis ultra quinquaginta an-  
nos molestus fuerit, quem *Torphirium* appellarant. Is  
quoties apparebat, *multas naves submergebat, homini-*  
*busque exitium afferebat, qui, cum multis machinis petere-*  
*tur, eæque omnes essent irritæ, tandem in prosequendis Del-*  
*phinis captus est, qui cum prope terram confugissent, impe-*  
*tum ille non inhibuit, donec proxime terram proventus in*  
*uliginem & profundum lutum incidisset, unde emergere non*  
*potuit & sic confectus funibus qua crassior erat, alli-*

*gatis boum jugis in terram pertra-*  
*ctus est.*

CAP.

**CAP. III.**  
**De Terra CONTINENTE & RIPA,**  
 inquam Propheta deportatus & eje-  
 ctus est.

*Summaria.*

- |   |  |   |
|---|--|---|
| <p>1. Arida &amp; ξηρῆ</p> <p>2. יבשׁוּרָה</p> <p>3. notat iam mediterraneam quā<br/>         ripaticam terram.</p> <p>4. Non est littus Nineves.</p> <p>5. nec ponti Euxini; cujus nomen<br/>         accola. descriptio. refutatio.</p> |  | <p>6. Non sinus Isfici. Isus postea<br/>         Nicopolis.</p> <p>7. non Seleucia,</p> <p>8. non maris rubri</p> <p>9. sed vel Syria</p> <p>10. vel Palestina littora</p> <p>11. nominatim ad ripam Joppen-<br/>         sium.</p> |
|---|--|---|

†. 1. *Terminus ad quem* Propheta Amithaides deportatus,  
 & in quam evomitus est, vocatur ab ipso communi nomine  
 יבשׁוּרָה Arida. Hæc enim ejus sunt verba:

וַיִּקַּח אֶת-יֹנָה אֶל-הַיַּבְשׁוּרָה

Et evomuit (piscis) Jonam ad Aridam. Ita quoque Chaldaeus  
 Paraphrastes reddidit יבשׁוּרָה. LXX. vinalis quoq; versio ha-  
 bet: ἡξὶ ἐξέβαλεν τὴν Ἰωνᾶν ἐπὶ τὴν ξηρᾶν.

†. 2. Est autem הַיַּבְשׁוּרָה sing. fæm. cum ה Emphat. quod  
 habet regulariter (-) seq. dagefch à R. יבשׁ aruit, exsiccatus  
 fuit. Dicitur autem terra seu continens יבשה ab exarendo  
 seu exsiccando; quia, dicente Domino, וַתִּרְאוּ הַיַּבְשָׁה,  
 terra ab inundantibus aquis liberata est, & in usum hominum & ani-  
 malium terrestrium primum sicca apparuit.

†. 3. Eo autem nomine in sacris venit non tantum conti-  
 nens, etiam mediterraneus terræ tractus, ut Gen. I. 9. Dan. II.  
 9. Gen. VIII. pass. Ps. XCV. 5. sed etiam terra ripatica ad quam  
 maria & stagna alluunt, affluuntque Jon. I. 13. Ps. LXVI. 7. &  
 potissimum Jon. II. ult.

†. 4. Quod autem littus, aut quis terræ tractus fuerit, in  
 quem cetus JONAM expuit, non convenit satis inter Au-  
 tho-

G



thores. Namque (1) *Sulpitius Severus l. 1. Hist. Eccles. p. m. 232.*  
 ex *S. Gregorio l. VI. Moral. c. XII.* arbitratur Jonam esse expo-  
 situm in littoribus Ninevitarum. Sed istud arguit ignorantiam  
 Topographicam. Ninive enim non est ad littora maris  
 magni seu Mediterranei, sed ad Tigrim, in quem ex mari  
 mediterraneo nullus est transitus, nisi terrestris quem confi-  
 cere cetus non potuit. *His igitur non minus ridiculum se Geo-*  
*graphis præbet Sulpitius, atq; Diotymus Strombychi filius, qui è Ci-*  
*licia per Cydmum in Choaspen fluvium, qui Susas præter fluit, se na-*  
*vigas se scripsit, uti ex Strabonis l. 1. Geogr. Hornius inquit*  
 p. 232.

†. 5. Flav. Josephus l. IX. Antiqv. Jud. c. XI statuit, ex Jop-  
 pes portu in pontum Euxinum portatum, in ejusque littora  
 eructatum esse. Verba ejus hæc sunt: τὴν δὲ λόγον, ὑπὸ τῆς κή-  
 τως καταποδέντα τρεῖς ἡμέρας ἑποταύτας νύκτας εἰς τὸν εὐξεινον  
 ἐκβεβητθῆναι πόντον, ζῶντα καὶ μηδὲν τῆς σώματος λελωπημένον.  
 Hunc sequuntur plures ex veteribus, neque pauciores ex re-  
 centioribus *Isidorus Clarus Brixianus Comm super Jon. Joan Ca-*  
*thardus, Carolus Sigonius Comm. in Sulp. Sev. Hist. Sacr. p. m. 818.*  
*Henr. Bunting. p. 1. f. 190.* aliique. Secundum istos itaque talis  
 JONÆ fuisset Diaplus. Balcenæ, cum Prophetam non procul  
 à Japhan deglutisset, fuisset per integrum mare Syriacum, Phæ-  
 nicium, Cilicium aut Cyprium, Pamphiliam, Rhodium, Carium, Ly-  
 cium, Jonium, Lydium, Mysium, integrum Ægeum (Archipelagum)  
 per Hellespontum in Propontidem, & ex Propontide in Pontum Eu-  
 xinum eundum, viâ marinâ admodum vagabunda, anfra-  
 ctuosâ, & ultra CCC. miliaria longâ. Est enim pontus Eu-  
 xinus, qui hodie *Mare Majorce*, seu mare Euxinum vocatur.  
 Olim dictus fuit πόντος ἄξενος i. e. mare inhospitale propter  
 primos habitatores in hospites, qui peregrinantes ledere & tru-  
 cidare, imò ex craniis eorum pocula in usum potationum facere sole-  
 bant, apud Strab. l. VII. Sed postmodum à Græcis & Jonibus  
 victi mitiores facti sunt, hospitiaque præbuerunt transeunti-  
 bus, inde nomen πόντος εὐξεινος i. e. hospitalis maris accepit.  
 Quo de etiam *Ovidius l. IV. Trist. Eleg. IV.*

! Fri-

*Frigida me' cohibent Euxini littora ponti,*  
*Dictus ab antiquis axenus ille fuit.*

*Nam neque jactantur moderatis ab æquore ventis*  
*Nec placidos portus hospita navis habet.*

*Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærunt,*  
*Nec minus infidâ terra timetur aquâ.*

Accuratè descriptus est apud *Plinium* l. IV. c. 12. à p. 191. sq. & l. VI. c. 1. p. 242. & ab *Arriano* in *Periplo* suo. Quæ opinio præter autoritatem *Josephi* nihil certè probabilitatis habet. (Quamquam etiam *Josephus* non ex sua sed aliorum traditione, idq. satis dubitanter dicat.) Nam præterquam quod admodum distans sit locus, & triduo itinere à pisce præsertim magnæ molis, & ejusmodi, qui tarde in maris littoribus natare solet, vix adiri potuerit, istud quoque incommodum habet, quod longius distet à *Ninive*, quam ullum aliud littus, interque quod longè patentissimæ regiones interjacent *Colchis*, *Iberia*, *Taurus*, *Albania*, *Armenia*, quæ omnes prius pererrandæ & superandæ erant, jam antea satis afflictio & mœstitiæ plenissimo Dei viro. Jam autem verosimile non est, DEUM voluisse longissimo itinere prophetam delassare, sed brevissimo anticipare *Ninevitarum* malitiam & securitatem. Imò ista loca omnia perambulanda fuissent, ut rediret *Jonas Hierosolymam*, & illinc demum vicinior quærenda ad *Niniven* via, ut paulo post demonstrabimus.

†. 6. Hinc alii propius accedunt ad sinum scilicet *Issicum*, seu *Issæum*, i. e. ad littora *Ciliciæ*, quod facit *Drusius*, quem sequuntur *Christoph. à Castro* in *Colleg. Complutens. Soc. J. Lit. Prof. Comm.* in *Jon.* fol. 279. *D. Gabriel à Costa* in *Conimbr. Acad. S. S. Liter. Interpres*, in *Jon.* c. 2. tr. 12. §. VIII. p. m. 513. *Martinus Opitz* in *Jon.* p. m. 59. & ante eos *S. Eustathius Dionys. Alexandr.* Interpres. Iste sinus *Issicus* apud *Ptolom.* T. IV. *Asia* ita dicitur ab *Isso*, incluta *Ciliciæ* urbe non procul à monte *Amano*, ad quam *Alexander Darius* vicit, unde etiam ab ipso postmodum *Nicopolis* dicta est. Sed hæc sententia hoc incom-

modi habet, quod remotior sit Illus à sancta Solymorum urbe, ad quam ante secundam ablegationem Prophetæ erat remeandum.

†. 7. Quidam ad *Seleuciam* Jonæ ejectionem collocant, unde per Syriam & Mesopotamiam per CXXXV. Leucas ad Nineven discurrebatur. Hæc *Seleucia* est urbs in confinio Syriæ & Ciliciæ, ad prima maris Syriaci littora, cujus meminit Strabo l. XI. & XV. quam Stephanus *Seleucobelum*, Ptolomæus *Periam*, Niger *Soldino*, Olivarius *Soldi*, alii aliter nominant. Sed hæc sententia eodem incommodo, quo prior, laborat.

†. 8. *Job. de Pineda l. IV. de Reb. Salom. cap. XII. & longissimum & plane impossibilem facit Jonaticum Diaplum*, dum putat, Prophetam post eructationem piscis attigisse loca & littora maris rubri, quod tali pacto factum fuisse oporteret, ut piscis celeriter natando & plus quam volando mare Syriacum, Ægyptiacum, Carthaginense, Atlanticum, totum Æthiopicum, & vicissim Melindanum, Ægyptiacum & Erythraum super promontorium B.S. emensus sit, & ad ripam seu continentem Idumææ Prophetam exoneraverit. Idque ex fide fabulorum Rabbiorum. Ita enim *R. Salom. ostensum est Prophetæ mare caricosum, & quomodo transissent Israelitæ per medium eius. Erant enim illi pisci septem oculi, qui Jonæ totidem fenestrarum usum præbuerunt, & per illos contemplabatur & videbat quicquid in mari erat.* Rationes hujus sententiæ in compendium relatæ hæc sunt (a) quia Jonas ipse c. 2. 6. ait. *אֲפֵרַת אֶת רֹאשׁוֹ* aperuit caput meum, quod est mare rubrum seu algosum (β) quia Carcharias est piscis velocissimus, adeoque potuit intra triduum in sinum Arabicum penetrare (γ) si fuisset in littoribus Palæstinæ efferendus, triduo & trinoctio opus non fuisset, ad remanendum in ceto (δ) quia Ninive proxima est portui Arabico. Sed ad (1) in promptu est responsio, quod *אֲפֵרַת* hic nõ præcisè mare rubrum, Sed *juncum seu juncetum, seu algam marinam* significet, quæ ejus capiti velut fascia fuerat, dum eum cetus secum calamis, qui in imo maris nascuntur, implicuit, quales non tantum in rubro, sed etiam in mediterraneo mari plures nascuntur. *Ad 2. de Carcharia pisce*  
du-

dubium magnum est an fuerit Jonæ vector: Quod si fuisset, nulla tamen velocitas tanta esset, quæ tantum iter triduo absolvere potuisset. *Ad 3. Triduo opus fuit non ad cursum è mari mediter. in Euxinum aut Ærythræum mare, sed ad figurandum Christi triduanam in medio terræ durationem. Ad 4. Quæ ista brevitatis, primum redire ex Idumæa Hierosolymas, & illinc demum descendere in Niniven.?*

†. 9. *Georg. Horn. in Sulp. Sev. p. m. 232. Quid obstat, in quo minus eum ad eadem, unde digressus, Syriæ littora ejectum statuamus? Quanquam in eo à constanti sua opinione recedat, quod cum prioribus ad Ciliciæ quoque ripas regrediatur. Eò tamen propius locum Aridæ attingit, quò propius ad Joppensium portum appropinquat.*

†. 10. Hinc ultimi Jonæ DIAPLUM circulariter irregularem, & irregulariter circularem facientes ad littora PALÆSTINÆ ejus recursum alligant. Ita enim *Job. Coccejus in Δωδεκαποφύτων suo p. m. 272. Verosimile est, inquit, in eam terram ejectum esse Prophetam, ubi miraculum manifestaretur, unde venerat, in quam nauta navem appellere gestiverant. Jon. l. 13. Cum quibus faciunt etiam Joan. Mariana; Corn. à Lap. f. 407. & Christoph. à Castro f. 298, &c. Et fateor non absona mihi videtur hæc opinio propter sequentia scil. argumenta 1. quia brevissimum & notissimum iter ex Palæstina & Judæa in regnum Nini erat, in quod ejecto Dei viro erat remeandum, quod & tutius, & celerius, & maturius absolvere poterat, ex Palæstinorum, quam ex ullo alio littore, 2. quia commodissimum erat Propheta Hierosolymas reversuro, ibique vota sua, quæ in balena utero conclusus voverat, exsoluturo. Nullus enim adducor, ut credam, Jonam vota dedisse, data non solvisse, eoq; impietatis relapsum esse, ut post tam mirabilem sui conservationem gratus erga Deum non extiterit, atque suis desideriis cetaceis non satisfecerit, cum id præstiterint nautici viri alioquin remissioris pietatis & religionis ferè nullius homines, ut ad calcem capituli primi Propheta ipse ait. Multo minus persuadere mihi possum, Jonam prius ivisse ad Niveitas, iisq; pœnitentiã prædicasse, & tum demum reversum Hierosolymas, vota in seto facta Deo persolvisse. Cum malue-*

maluerit ad vota & hostias festinare, quam eadem ultra XL. dies differre. Ultra XL. inquam dies. Nam aliquot dies Nineven proficiscens, totidemque illa domum rediens, & aliquot ibi extra pomeria & territorium urbis manens exspectansq; interitum Nineviticum impendebat. *Omniū deniq; minimum credo, quod vota sua alio, quam in sancto Dei templo persolverit*, utpote qui erat ordinarius sacrificiorum, votorum & hostiarum offerendarum locus. Hinc quoque absentes ad istud oculos convertebant precantes, & ipse Propheta avidissimè templum Domini respicere gestiverat, utpote quod קרשך היפל templum sanctitatis tuæ (Domine) vocat c. 2. vers. 4.

† II. Ut ut igitur specialiter determinare non possimus, in quam Aridam sit dejectus Propheta noster, convenientissimum tamen est, si dicatur ad ripam, ex qua navigarat, repositus, non quidem præcisè in portum Joppes, sed tamen ad littora Joppensium, ubi balenæ non una opportunitas stagnandi data fuit. Est enim, ut id coronidis loco adjiciam, Joppe ad arduum & saxosum litus sita, prope promontorium Bala, in solo campestri & fertilissimo. Dicitur in Jonâ nostro יפן item 2. Paral. II. 16. sed Esd. III. 7. scribitur נפון ex Rad יפה pulchrum esse, quia ex eâ in campum Saron & amenissimum excurrebatur. Fuit portus opportunissimus, quod ex 2. Paral. 2. 11. libris Macchabæorum, & historiis belli Sacri manifestum sit. Quodè plura alia notatu digna in Etymologico magno, Plinio Pomp. Mela, Hornio ad Sever. Hieron. de Locis Ebraic. Adrichom. Theatr. T. Sanct. in Dan p. 23. legi possunt.

Nos hic subsistimus. & dicimus.

SOLI DEO GLORIAM.

Dulce sacrum sensum cum cortice perscrutari,  
 Non nisi perfectus talia mente capit,  
 Spiritus omniscius mysteria summa revelat,  
 Quorum illa in verbis, rebus & illa latent.  
 Felix, hæc duo qui vinclo conjungit amico,  
 Theiologus dici, Philologusq; potest

My-



Mystica scrutaris *Jonæ*, Doctissime *CAPSI*;  
Pergito, sic capies res apicesq; Dei!

JOHANNES Deutschmann/ D.  
SS. Th. P. P. Extraord.

Quem fecit *JONAS* balenæ in ventre Diaplum?  
Afflictus vates quæve pericla tulit?  
*Fætida* num reti potuit sufferre Propheta  
*Viscera*? num vivus littus adire potest?  
Omnes sunt certè Divini Numinis actus,  
Quos homo mortalis prendere mente nequit.  
Tu *CAPSI* mecum *JONÆ* meditâre Diaplum, &  
*Piscem*, qui vatem ad littora sicca tulit.  
Ipsaque lustraris *perpulchræ littora Joppes*  
Ad quæ, *projectus pise*, regressus erat.  
Gratulor: atque precor cum *Jonâ* præco salutis  
Mox fias, nullis subjiciâre malis.

Ita suo *Capsio* gratulatur  
PRÆSES.

Ad Præstantissimum ac piè Doctissimum

DNUM. HEINRICUM CAPSIUM,  
publicè de transvectione *Jonæ* Disputaturum,  
Contubern. & Amicum suum singulariter  
dilectum.

Nuper *Theiologum* temet *WITEBERGA* videbat,  
Jam quoque *Philologum* tèque videre cupit.  
Gaudeat *HAMBURGUM* (quod nunc caput extulit inter  
*Urbes Saxonicas*) hunc genuisse virum.  
*RITZBUTTELLANUMQ;* solum læretur abundè  
Cum Genitore piò de ingenuâ sobole.  
Gratulor ipse ego; qui *STADÆ* juvenilibus annis  
Te novi: cœptis annuat alma *Trias*!

gratulab. f.

JOHANNES MEIBOMIUS, Obern-  
dorffio Brem, Phil. ac S. S. Theol.  
Cultor,

Ec.

**E**Cce! novum certamen inis, doctissime ( *CAPSI*,  
Aonium, ingenii dans documenta tui,  
Defendendo theses de Jonâ, pulpita scandis  
Quem per tres noctes, vasta Balæna habuit.  
Pergere sic insta: Nomen sic fertur ad astra,  
Certantem pariter digna brabea manent:  
Musa sibi pretium, virtusq; labore parabit:  
Fixus honor studiis, gloria semper adest.  
Frustra desudat nunquam, qui sudat in astris:  
Talem te, *CAPSI* dicere jure queo.  
Nam labor ac honor est comitum par nobile fratrum,  
Quosque tibi porrò junge: valeto diu.

*ἐννοίας ἐννενα*

Consobrino suo literatissimo ac aman-  
tissimo apponere voluit ac debuit

*Franciscus Simon,*  
*Hamburg.*



Ung. VI 17


ULB Halle 3  
002 114 550




sb

T. 17-18

1078  
1077







Farbkarte #13

B.I.G.



57

ff)

60.

E  
LUS

SIUS  
imptus  
s  
licè

LIPENIO  
Marchico  
juncto

CAPSIO  
nburg.  
TE  
RGÆ  
Auditorio

\*\*\*\*\*  
ris Oelfschle-

